



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopo vacante, que Ecclesiam vacantem inuaserit. xxxix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

byteri residere, non abiiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commouent ibidem constitutis episcopis, presbyterij quoque honor talibus auferatur, fiantq; damnatione notabiles.

*De episcopo qui Ecclesiam ad quam ordinatus est, adire neglexerit.* Cap. XXXVII.

**S**I quis episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit, & sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communionem priuari, donec susceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreuerit eiusdem prouinciae synodus sacerdotum.

*Ex concil. Antioch. cap. 17.*

*De episcopo qui non susceperit officium sibi commissum.* Cap. XXXVIII.

**S**I quis episcopus non susceperit officium sibi commissum hic communionem priuetur, quoadusque consentiat obedientiae suae commodans. Si verò perrexerit nec receptus fuerit, non pro sua sententia, sed pro malitia populi, ipse quidem maneat episcopus, clerici verò ciuitatis communionem priuentur, quòd erudiendis inobedientes populis non fuerint.

*Ex concil. Aralatè. cap. 6.*

*De episcopo vacante, qui Ecclesiam vacantem inuaserit.* Cap. XXXIX.

**S**I quis episcopus vacans, in Ecclesiam non habentem episcopum surripens populos sine concilio integri ordinis irruerit, etiam si populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum concilium dicimus illud, cui metropolitani episcopi interfuerint.

*Ex concil. Antioch. cap. 16. Concilium perfectum quod sit.*

*De episcopo, qui est ordinatus ad ecclesiam, & non est receptus.* Cap. XL.

**S**I quis ordinatus, per contètionem populi, aut pro aliqua ratione, & non pro sua culpa, in parochia, quae ei fuerit data, receptus non erit, hunc oportet honorem sacerdotii tantummodo contingere, ita ut de rebus Ecclesiae, in qua conuenit, sibi nihil praesumat. Sustineat autem quicquid de eo sanctum concilium iudicauerit.

*Ex concil. Aureliad. cap. 10.*